



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||**

**Molanus, Johannes**

**Antverpiae, [1592]**

In Librvm De Sacra Militia Dvcvm Brabantiae Auctoris Praefatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38114**

IN LIBRUM  
DE SACRA MILITIA

DUCVM BRABANTIAE

Auctoris Præfatio.



ILLUSTRES ac præ-  
potentes Brabantie duces  
non altiori oportet repe-  
tere principio, quàm à Re-  
ligiosissimo Principe Pi-  
pino eius nominis primo.

Qui enim à temporibus Iulij Cesaris, aut  
longiore mendaciorum cathena à diluuiio  
Noë, Brabonum multorum seriem & histo-  
rias recentibus scriptis vsque ad tempora  
Pipini primi deduxerunt, ij non historiam  
seripserunt, sed in confingendis nescio quibus  
Vtopie monstris, eorumque ampullosis nugis,  
bonas horas male collocauerunt. Quare in  
Vernaculis trigesimo anno supra sesquimille-  
simum Anruerpia excusis historijs modestè  
indi-



AVCTORIS

indicatur à Carolomanno Pipini patre com-  
muniter inchoari Brabantia Chronica, ijs  
tantum exceptis Chronicis, quae Magister  
Iohannes Clericus Antuerpiensis collegit.

Sit igitur Pipinus primus Ducatum  
Lotharingiae & Brabantiae Dux: quem  
propterea Emundus Dynterus, quatuor  
Ducum Brabantiae Secretarius, genealogiam  
antecessorum describens, Archiducem vocat,  
hoc est, inferioris Austriae primum Ducem.  
Sunt alij qui eum Patriarcham vocant Bra-  
bantiae: quod veluti alter Abraham Deo &  
Ecclesiae multos spirituales filios in Braban-  
tia & locis vicinis, tum sua ipsius, tum  
Sacerdotum, quos fouebat, operâ genuerit.  
Sed fateri interim oportet, ante Pipinum  
aliquot Christianos Franciae Reges existisse,  
quibus Brabantia parebat priusquam pro-  
prium nata esset Ducem: quorum proin-  
de militiam sacram huic opusculo attexen-  
dam iudicavi.

Porro qui hodie Brabantiae Duces vo-  
cantur, & qui se tum Lotharingiae tum Bra-  
bantiae



PRÆFATIO.

*brabantia* Duces scribunt, ij primò dicti fuerunt  
 Duces *Austrasie*, quia à Regibus *Austrasie*  
 regni Duces creabantur. Et quia in finibus  
 Septentrionalibus regni *Austrasie* magnâ suæ  
 hereditatis portionē possidebant, dicti quoq.  
 fuerunt Duces *Austrasie inferioris*. Ean-  
 dem verò ob causam dicti sunt etiam Duces  
 Regni *Lotharingie*, & *Lotharingie inferio-*  
*ris*, posteaquam regnum *Austrasie* à Lothario  
 dictum est regnum *Lothariense* & *Lotha-*  
*ringia*. Ab *Otthone Frisingensi*, *Vitichundo*  
*Saxone*, & alijs, subinde Duces *Belgica* nun-  
 cupantur, quemadmodum & à *Metropoli*  
 olim dicebantur duces *Louanienses*, sicut vi-  
 dere est apud *Guilielmum Neubrigensem*,  
*Cæsarium Heisterbacensem*, *Thomam Canti-*  
*pratensem*, & plures alios scriptores. Rur-  
 sus autem posteaquam *Lotharingia* tota infe-  
 rior, aut magna eius portio, *Bratusbantium*  
 & terra *Brachbantensis*, & *Brabantia* dici  
 cœpit, *Lotharingie* Duces, qui se secundo loco  
 aut *Comites* aut *Duces* vocabant *Louanien-*  
*ses*, illius loco tituli, se *Brabantie* Duces  
 scri-



AVCTORIS

scribebant. Inde verò cum Ducatus Mosellanorum Lotharingia vulgata appellatione nominari incepisset, Brabantia nostra nomen hoc vulgò amisit.

Est & illud animadvertendum, primos Brabantiae Duces non eius generis Duces fuisse, quales nunc sunt. Nam priscis temporibus illi tantummodo Duces reputabantur, qui duodecim sub se comitatus habebat. Quo pertinet illud quod de Pipino in Annalibus Francorum legitur: Domum reuersus, Griphonem, more Ducum, duodecim Comitatus donauit.

Annon. li. 4.  
cap. 61.

Illorum praeterea temporum Duces non huius aut illius ditionis Duces erant, sed Duces creabantur ad gubernationem regni, aut ad fidei Catholicae defensionem, quales in militia sunt quos olim Primipilares, vel quos Colonellos vocamus, qui decem praesunt capitaneis. Primi proinde Brabantiae Duces non Ducatus illius qui dicebatur Austrasia, sed in regno Austrasia Duces erant, & Ducum officium praestabant. De quo per antiquo  
Ducum



PRÆFATIO.

Ducum & Comitum genere inter alios tra-  
 ctat Theodorus Adamæus in suis ad Proco-  
 pium de edificijs Iustiniani, annotationibus.  
 Illi ergo ad militiam pro cuiusque regni aut  
 regionis conseruatione destinabantur, sed  
 tamen Militum nomine non censebantur,  
 nisi per militaris Regula professionem inau-  
 gurati, ac sacræ veluti Militiæ adscripti fuis-  
 sent. Ceteri enim, etiam Comites, Duces, Re-  
 ges, & Imperatores, Armigeri, non milites  
 dicebantur. Huc pertinet illud quod in ve-  
 tustis Brabantia nostræ Annalibus scribitur, Anno 1123  
 Godefridum Brabantia Ducem iter Ieroso-  
 lymam versus instituisse, eiusque filiū Hein-  
 ricum militem creatum fuisse. Tale et illud  
 est quod de Guilhelmo Hollandia Comite, illo-  
 rum temporum vicinus scriptor, & Iohan-  
 nis Traiectensis Episcopi, ac Guilhelmi Pala-  
 tini, Comitæ Hollandia historicus, Iohannes  
 Becanus, memoria tradidit. Eum adhuc ar-  
 migerum existentem, cum esset Domicellus  
 Hollandia, scribit Becanus in Imperij Regem  
 Romanorum electum fuisse, & ea propter

†††

moæ



AUCTORIS

mox apparatus fecisse, ut more aliorum Christianorum Imperatorum Miles consecraretur, priusquam Aquisgrani diadema regni susciperet. Cum itaque in solennis Missae officio, Evangelio decantato, Guilhelmus armiger à Rege Bohemiae coram Petro Capucio, Cardinale S. Georgij, ad velum aureum productus fuisset; Bohemiae Rex, qui eum sistebat, haec ad Illustrissimum Cardinalem verba depromebat: Vestrae Reuerentiae, pater almiflue, presentamus hunc electum Armigerum; deuotissimè supplicantes, quatenus vestra Paternitas votiuam eius professionem suscipiat, ut militari nostro Collegio inscribi valeat. Tum verò Cardinalis Amplissimus, praemissa monitione, qua electum Imperatorem instruebat, quòd Miles debeat esse

Magnanimus in aduersitate,  
 Ingenuus in consanguinitate,  
 Largifluus in honestate,  
 Gregius in curialitate, &  
 Strenuus in virili probitate:

praele-



P R A E F A T I O.

praeligit ei *Militaris Regula iugum*; cuius hoc exordium est: *Hæc est Regula Militaris ordinis: In primis cum deuota recordatione Officium Dominicae passionis diurnatim audire; Pro fide Catholica audacter corpus exponere; Sæctam Ecclesiam, eiusque ministros, à quibuscunque grassatoribus liberare; Viduas, pupillos, & orphanos in eorum necessitate protegere. His, & ijs quæ ad finem Regulae sequuntur, lectis, dixit Dominus Cardinalis: Vis Militarem ordinem in nomine Domini deuotè suscipere, & Regulam tibi verbotenus explicatam pro tua possibilitate profiteri? Respondit electus, Volo. Et mox accepta Regula legit in hæc verba: Ego *VVilhelmus, Hollædiensis Militiæ Princeps, sacri Imperij Vasallus, liber, iureiurando profiteor Regulae Militaris obseruantiam, in præsentia Domini mei Petri ad velum aureum Diaconi Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legati per hoc sacrosanctum Euangelium, quod manu tango. Cui Cardinalis: Hæc deuota professio sit peccatorum tuorum vera remissio, Amen.**

††† 2

Quibus



AVCTORIS

Quibus peractis, Rex Bohemie grandem colaphum in collum tyronis dedit, dicens: Ad honorem Dei omnipotentis te Militem ordino, ac in nostro Collegio te gratanter accipio. Et memento quoniam Saluator mundi coram Anna Pontifice pro te colaphizatus & illusus est; coram Pilato Præside flagellis casus, ac spinis coronatus; coram Herode chlamyde vestitus, & derisus est; & coram omni populo nudus ac vulneratus in cruce suspensus est. Cuius opprobria memorari te suadeo; cuius crucem acceptare te consulo; cuius etiam mortem ulcisci te moneo.

Hæc idcirco volui commemorare, ut militaris instituti ratio intelligatur, ea nempe quam hæc describimus sacram; ac ut hinc unicuique promptum sit cognoscere, quam runc ab illo tam pio degenerent instituto Duces, Principes, Comites, Signiferi, aliique qui Christianæ quoque religionis causa militiae adscribuntur; qui, præterquam quòd grassatorum potius quàm Christianorùm militum numero habendi sunt, nullo zelo tuendæ  
fidei



PRAEFATIO.

*fidei Catholicae ducuntur: interdum etiam  
à sacris non cohibent impias atque impu-  
ras manus.*

*Ad illam verò Militaris ordinis dignita-  
tem Philippus Burgundiae & Brabantiae  
Dux aliam quoque prorsus magnificam  
Heroum & Equitum aurei velleris societa-  
tem adiecit: quae similiter ad Catholicae fidei  
defensionem, tum propagationem est in-  
stituta; & cui non nisi principes viri, qui  
gladij ac armorum usu de Christiana religione  
bene meriti sunt, inscribi cōsueverunt. A quo  
Philippi instituto ita in eius Epitaphio scri-  
ptum sculptumque habetur:*

*Tuta à nobilibus quo Ecclesia fir-  
mior esset,*

*Nobilis inuentus velleris ordo mi-  
hi est.*

*Is ordo posteaquam Militaris exoleuit,  
etiamnum in usu est; in quem Philippus Au-  
striacus, Rex noster Catholicus, annis superio-  
ribus egregios aliquot Belgicae Militiae Duces  
solenni ritu atque apparatu cooptauit.*

††† 3

*Vellem*



AVCTORIS PRAEFATIO.

Vellem equidem Duces omnes, & omnes qui sub Ducibus Deo eiusque Ecclesiae militant, eodem duci zelo quo Philippus Rex, & Dux noster; ac saepe in hac sacrae Militiae descriptione illorum Ducum & Principum pietatem, fidem, constantiam, & in Deum eiusque ministros admirari observantiam, & ad eam consecrandam inflammari. Esset profecto vnde sibi Catholica gratularetur Ecclesia; & vnde finem funesti ac diuturni huius belli sperare merito possemus. Sed iam ad singulorum Ducum sacram militiam ex ordine describendam progrediamur.

